



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Amico, quem iniquus rumor sparserat ex gravi morbo fuisse extinctum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

## A M I C O

*Quem iniquus rumor sparserat ex gravi morbo fuisse extinctum.*

Officiosa & Gratulabunda.

**V**ivis, Amice, neque verus ille rumor est, qui te extinctum referebat? O rem lætam! ô me præter exspectationem omnem felicem ac fortunatum! Equidem fatebor quod verum est, Charissime; nunquam ego sensi melius, quantopere te diligerem, quàm cum funestum ad me nuntium delatum est, unde intelligebam te mihi carendum esse in perpetuum. Nam quasi latuisset mihi ad hunc usque diem, quod tamen probè noveram jam diu, esse in te fidem egregiam, eximiam charitatem, indolem suavissimam, & cætera omnia, quæ dulcissimæ necessitudinis vincula sunt; tu visus mihi de integro amicus tam comis, tam fidus, tam obsequens, numeris omnibus tam absolutus, ut sine te vivere me posse desperarem. Hinc æstima, si potes, quantus ex eo die mæror animum incesserit! ut me tæderet ulterioris vitæ, quam jucundissimo destitutam solatio arbitrabar! ut mihi dies noctesque obversabâre menti, & novum usque ægerrimi doloris momentum afferebas! Sed quid ego hæc? aut quid in re tam luctuosâ diutiùs immoror, ubi tam ampla lætandi sèges occurrit? Tamen ignosces pro tuâ humanitate. Videor enim mihi unus eorum de munero, qui periculosum passi naufragium, & amicum tandem portum ingressi tantò suavità retractant periculū

riculū

riculi memoriam, quando gravius discrimen incurrere. Ceterum cave deinceps, valetudinem ut cures tuam diligentius, quam fecisti; ac si te tua ipsius salus tam parum commovebit, cogita, etiam atque etiam precor, hoc esse amici tui fatum, ut ab incolumitate tuâ sua ipsius salus dependeat.

---

A M I C O

*Rebus prosperis plus æquo superbienti.*

Ad Commonendum.

**M**orosus ego præter modum fortasse tibi, mi Theophile, aut etiam lætioris fortunæ, quâ frueris, invidus quibusdam videar, qui intempestivis admonitionibus tua inturbare gaudia sustineam. Absit hoc à me! Nemo hominum est, mihi crede, quantum est, qui vivunt, qui res tibi secundas cupidius velit, aut easdem tibi lubentius gratuletur. Esto; per me licet, frui bonis illis, quæ tibi Superi liberalius indulserunt; gaude etiam lætâ illâ sorte, quam iisdem faventibus adeptus es. Gaudebo tecum pariter, & illa bona tibi ut propria faciant, ultrò precabor. Tamen non cessabo monere te diligenter, ut insolentiore lætitiâ abstinereas. Hoc relinque pusillis, siquæ non satis compositibus animis, ut rerum ex voto fluentium copiâ superbius efferantur, neque ullum fortunæ ridentis ad aspectum servare modum possint. Postulat invictæ mentis constantia, ut non minus casus inter prosperos, quàm inter adversos re-

Cum